



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Murenulæ Sacræ Vestis Sponsæ Regis Æterni
Vermiculatæ Opus, De Privilegiis Ordinum Regularium**

Alviset, Virginius

Campidonæ, 1673

§. 4. De Acquisitione privil. per viam communicationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62361](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62361)

to, quia ubi notitia publica, etiam putativa validat actum, non potest impediri à notitia privata, quamvis aliàs certa, per proportionem ad doctrinam cõmunem, teneri iudicem condemnare reum in iudicio convictum, quamvis notitia, privata sciat illum esse innocentem, ita Lugo *supra cit.* & Laym. *in theol. mor. lib. primo tit. 4. cap. 22. num. 9.* Requiritur secundo ad hoc ut error tribuat jus, ut fundamento aliquo probabili, seu apparenti nitatur, eo modo quo supra dictum est, sic nimirum ut creet opinionem probabilem, aliàs autem, non sufficeret, si in vana & stulta aliqua opinione fundaretur. Ita Cardin. *conf. 114.* & Feder. 137.

10 Tertiò ut error, seu deceptio versetur circa impedimentum, seu defectum, qui sit juris positivi tantum, Abb. *cap. secundo de presb. non bapt.* Et Nald. *supra cit.* Et sic v. g. si Sacerdos qui communiter putatur Parochus assistat Matrimonio, tenet Matrimonium, è contra verò, si is qui non est Sacerdos consecrat, nihil facit, etiam si ab omnibus putetur esse Sacerdos, &c.

11 Quartò ut cum errore adsit aliquis titulus reddens rem probabilem sicut dixi superius, aut certè expressa delegatio Superioris, licèt fortè non fuisset delegaturus, si meliùs fuisset informatus. Et sic v. g. dixi superius validè absolvere hunc qui est approbatus in censura, quamvis aliàs non debuisset approbari. At secus est de illo qui sine approbatione & nullo probabili fundamento absolvit, licèt interim putetur ab omnibus approbatus, quia tunc dicitur propriè intrusus, acta

12 autem intrusi, nunquam in jure validantur. Ita Abb. *cap. 2 de in int. rest. Alex. conf. 138. vol. 1. & 93. vol. 2. Tusch. v. error. concl. 330.* & plures alii apud ipsos.

13 Addit Tusch. requiri item ut concurrat

utilitas publica, id est quòd tunc tantum censetur error tribuere jus, cum jus ita exigit bonum publicum, quòd aliàs impediretur, hoc non tolerato. Addit item requiri, ut error sit tantum facti, non autem juris. Sed ego puto cum Laym. *supra citat.* non referre, si sit facti, si ve etiam juris, modò sit justus secundum dicta in Superioribus.

Quibus observatis, & concurrentibus circumstantiis assignatis, error seu opinio communis ita facit jus, & jurisdictionem tribuit, ut licèt postmodum delegatur deceptio, nulla sit opus iteratione, aut confirmatione gestorum. Quin etiam sic tenet, & valent, ut nec rescindi possunt, aut revocari, ut docet Lap. *alleg. 89.*

S. IV.

De Acquisitione Privilegiorum per viam communicationis.

SUMMARIUM.

1. Quid sit communicatio privilegii, & à quo scienda.
2. Vbi communicationis privilegii consistit in duobus.
3. Quando communicatio, & privilegii, censetur gratia ipsa communicatio, absque respectu admodum uentium.
4. In communicatione non conceditur plus, vel minus, quam in originali habeatur.
5. Conceduntur etiam prescripta.
6. Inter regulares duplex communicatio.
7. Concessa uni provincie, extenduntur ad omnes alias.
8. Concessa uni Monasterio, extenduntur ad omnia alia.
9. Omnia privilegia communia omnibus, & 26.
10. Cassinensium privilegia quibus concessa.
11. Camald. privilegia quibus concessa.
12. Lateranensium quibus.
13. Societ. Jesu quibus.

19. Mendicantium quibus.
 20. Congregatio Portugal. sancti Benedicti quam communic. habeat.
 21. Quam Fulsenses.
 22. Quam Celestini. & 20.
 23. Quam Capicini.
 24. Quam Augustiniani. & 20.
 25. Quam Camaldulenses.
 26. Quam Congreg. sancti Mauri.
 Quam Carthusiani ibid.
 Quam Trinitarii ibid.
 Quam Cruciferi ibid.
 Quam Hieronymitani ibid.
 Quam Clerici Ministr. Infirmis, ibidem.
 Quam Canonici de Alga ibid.
 Quam Servite ibid.
 Quam Theatini ibid.
 Quam Minores ibid.
 Quam Carmelitæ ibid.
 Quam Mimimi ibid.
 27. Communicatio extenditur ad concedenda.
 28. Etiam ad illa, quæ specialem requirunt mentionem.
 29. Etiam illa, quæ prohibentur communicari.
 30. Singulares clausule sub quibus facta est communic. Cisterc. in Italia.
 31. Et Camaldulensibus, & Congregat. sancti Mauri.
 32. Quomodo intelligenda communicatio.
 33. Non habet locum, ubi agitur de damno tertii.
 34. Neque in his quæ repugnant statui.
 35. Neque ubi sequeretur absurditas.
 36. Neque in his quæ non sunt concessa intuitu Religionis.
 37. Mimimi an sint exempti à solutione quartæ.
 38. Mendicantes non possunt uti Pontificalibus.
 39. Abbates non sunt omnes æquales, & 39.
 40. Vm privi. pro partibus infidelium, illicitus ubi Ecclesia floret.
 41. Privilegia Dominicanorum ad quos extensa.
 42. Minorum ad quos ibidem.
 43. Trinitariorum ad quos.
 44. Mimorum ad quos.

HAc via acquiruntur privilegia, quando hæc, quæ primitus uni concessa fuere, iterum alteri conceduntur. Et debet communicatio fieri non ab illo, cui sunt concessa, sed ab illo, qui concessit, quia communicatio non est aliud, quam nova, & iterata concessio, seu concessio- nis extensio, ad nova subiecta, quæ sicut in sua origine, sic & in extensione pender à concedente.

Vis autem communicationis consistit in hoc, quod primò privilegium communicatum, sit commune illi, cui fuit originariè concessum, & cui communicatur, ut quantum ad usum possint ambo independenter unus ab altero illo gaudere. Ita quòd etiam si fortè is cui fuit primò concessum, illud amittat, aut illi restringatur, is tamen cui fuit communicatum, possit illo uti, juxta originariam, & primariam concessionem, secundum quam emanavit à Principe. Nam (quod est secundum in quo consistit vis communicationis) quando communicatur aliquod privilegium (& aliud Princeps non declarat) censetur omnis, & tota gratia cõmunicata, in suo fonte, hoc est secundum illum modum, & latitudinem, quàm reperitur habere ex sua origine absque respectu ad illum modum privatum, sub quo illo fortè utitur, is cui primùm fuit concessum. Et ratio est, quia hoc communicatur quod præexistit, & actualiter concessum fuit, privilegium autem existit in voluntate non utentium, sed Principis, & concessum fuit non sub modo speciali sub quo fortè aliqui illo utuntur, sed juxta conceptum Principis. Ergo & communicatur secundum illum eundem conceptum, secundum quem originariè concessum fuit. Vide dicenda c. 1. ubi de usu privi. v. 8.

Nihil tamen novi in communicatione indul-

indulgeat, neque plus, neq; minus, quam primitus datū fuit. Unde intelliges, quod communicatio semper præsupponit, tantquam jam existens, id quod communicatur, & hoc ipsum non communicari, nisi secundum quod præexistit. Ex quo fit quod si forte privilegium erat restrictū à Principe, antequam illud communicaret, nec censetur etiam communicatum, nisi sub illa restrictione, secus si post communicationem restringatur pro uno aut altero utentiō, tunc enim is cui communicatum fuit, non tenebitur se conformare restrictioni, sed poterit uti privilegio secundum suam primariam concessionem, imò etiam si restrictio facta sit pro illo, cui originariè fuit concessum, & idem per proportionem dico, si privilegium tollatur, uni utentium.

5 An verò concedantur acquisita per præscriptionem, vel errorem (secundum dicta in superioribus paragraphis) in communicatione privilegiorum, potest in utramque partem disputari. Posset enim non malè aliquis id negare, quia communicatio debet fieri à Principe, & Princeps non communicat nisi hæc, quæ concessit. Sed pars affirmativa longè mihi semper probabilior visa est, & tenenda, privilegia enim præscripta sunt verè privilegia, communicatio autem est absoluta & generaliter concedit privilegia, nec distinguit in modo quo sunt acquisita. Ergo complectitur præscripta peræque ac concessa; deinde etiam si præscripta, non sint concessa expressè à Principe, sunt tamen concessa à jure, quod approbat & permittit præscriptionem: & consequenter implicite à Principe, à quo est omne jus, & qui omnia jura tenet in scrinio pectoris. Et cum aliàs privilegia præscripta sint verè privilegia, & communicatio generalis, hæc ideo censeri debent per illam concessa.

Propius autem accedendo ad nostrum institutum, quod attinet ad communicationem privilegiorum inter regulares, hæc instar processionum divinarum, potest intelligi fieri vel ad intra, vel ad extra. Et quidem ad intra, hoc ego primò invenio, quod concessa uni Provinciæ extenduntur ad omnes alias ejusdem ordinis, uti Anno 1505. die 15. April. pro minoribus sancivit Jul. II. Bul. quæ incipit. *Exponi nobis fecit.*

Et secundò quod concessa uni Monasterio, extenduntur ad omnia alia ejusdem congregationis, provinciæ, vel ordinis. Quod Eugen. IV. Anno 1434. die 23. Febr. concessit Cassinens. B. quæ incipit. *Et si ex debito.* Et rursus Alexand. VI. An. 1501. sext. Cal. April. B. quæ incipit *Inter ceteras.* Et tertio Leo X. Anno 1519. die 2. April. B. quæ incipit. *dum sacra.* Ac rursus Clem. VII. Anno. 1531. die 27. Novemb. B. quæ incipit. *Benignitas.*

Item & Congregationi Vallisoleti primò Eugen. IV. Anno 1446. 13. Cal. Jan. B. quæ incipit. *Sedis Apostolicæ.* Verum sublimitatione, & pro iis tantum Monasteriis, in quibus essent duodecim Monachi, sed secundo loco sine hac restrictione Nicolaus Francus cum Nomine Sixti IV. legatione fungeretur in Regnis Hispaniarum. Ac tertio Ludovic. Tit. S. Marcelli Præbiter Cardinalis cum item in iisdem Regnis legatione fungeretur Nomine Julii II. Et Quarto Leo X. An. 1515. die 1. Decemb. B. quæ incipit *Vacantium sub Religionis observantia.* Tum V. Clem. VIII. An. 1582. die 30. Septemb. B. quæ incipit. *Romanus Pontifex.*

Item & Carthusianis hoc concessit primò Pius II. Ac deinde Gregor. XI. voluit specialiter, ut concessa Monast. majoris Carthusiæ, extenderentur ad omnia alia per totum ordinem ut refert Chassaign.

Item

Item & Præmonstratenf. hoc idem concessit Clem. VIII. Anno 1582. die 30. Septemb. Bul. quæ incipit *Romanus Pontif.*

Ordini S. Hieronymi in Regnis Hisp. Pius IV. ad instantiam Philippi II. Regis De quo in ejus compend.

Eremitis Augustin. Jul. II. Anno 1507. die 7. Jul. B. quæ incipit. *Dum fructus uberes.*

Ac demum Minimis idem Jul. II. eodem 1507. die 29. Mart. Bul. quæ incipit. *Alias venerabilem.* Quantum verò ad communicationem, quæ fit ad extra; hæc ab initio fuit concessa, sub multiplici differentia, majori aut minori liberalitate Romanorum Pont. licet per necessariam consequentiam nunc sit æqualis omnibus. Nam quibusdam ordinibus, & Congregat. fuerunt interdum communicata privil. unius aut alterius ordinis tantum. Interdum plurium, similibus vel dissimilibus, aut certi generis. Ac demum aliis omnium licet (ut dictum est) omnia sint jam omnibus communia.

10 Et primò quod attinet ad privilegium Congregat. Cassinens. hæc fuerunt communicata Basilianis primò concessione Gregor. XIII. Anno 1577. die 25. Maij, ac deinde confirmatione Pauli V. sub Anno 1606. & die 17. Mart. Item & Congreg. Vallisoleti ab Eugen. IV. Montis Oliveti à Pio II. paucis quibusdam exceptis. Vallis Umbrosæ à Jul. II. Later. & Hospitali S. Spiritus de Urbe Roma à Sixto IV.

11 Privilegia Camaldulensiu concessa sunt Monachis Congregat. Montis Virginis, benignitate Pauli V. sub Anno 1611. & die 15. Maij.

22 Congregationis Lateranensis, Theatinis à Clem. VII. Anno 1524. die 24. Jun. B. quæ incipit. *Exponi nobis apud Bzov. To. 19. annal.* Et sub his clausulis, ut ejusmodi communicatio complectatur concessa & concedenda, & fiat mutatis solum nominibus, invocatis

nibus & diebus; possintque Theatini uti ejusmodi privilegiis perinde ac si singula per eorum tenorem, & de verbo ad verbum expressionem, & insertionem forent illis concessa. Imò & illis, quæ specialiter, & de verbo ad verbum essent aliis exprimenda.

Societ. Jesu concessa sunt Cruciferis à 13 Greg. XIV. B. quæ incipit. *Illus qui pro regis.* Clericis Schola piæ ab Urbano VIII. Const. XV. apud Laert. to. 4. Bullar.

Fuere secundò concessa aliquando uni 14 Ordini vel Cong. privilegia plurium aliorum licet non omnium. Nam Cong. Portugal. Ordinis S. Bened. habet communicationem privilegiorum Cong. Cassinensis, primò à Jul. II. Ac iterum à Sixto IV. de An. 1587. Sept. Cal. Decemb. Simulq; Congr. Vallisfol. Cisterc. & S. Hieronymi Hispaniarum, & sub hac clausula. *Etiamsi talia forent, quæ specialem requirant mentionem.*

Item privil. Ord. Cisterc. & omnium 15 Monachalium concessa sunt Fulientib. à Paul. V. Anno 1606. Id. Jul. Et Calest. ab Urb. VIII. Anno 1624. die 14. Aug.

Item privilegia Camald. & Minorum 17 concessa sunt Capuccinis à Clem. VIII. Anno 1529. 5. Nonas Jul.

Item August. Eremitæ habent commu- 18 nicationem privilegiorum omnium Ordinum, qui suis communicant, indulto Alex. VI. sub Anno 1497. die 8. Mart.

Item privil. ordinum Mendicantium, 19 concessa sunt Dominicis à Leone X. Ann. 1518. die 21. Jun. B. quæ incipit. *Inter cetera.* Minoribus ab Alex. VI. Jul. II. & Leone X. An. 1514. die 16. Febr. B. quæ incipit *Affectu benevolentia* Professoribus triū regularum S. Francisci duplici concessione prædicti Leonis, quarum 1. emanavit An. 1517. die 27. Maij, & incipit. *Dudum Felicis Altera*, die ult. Aug. ejusd. Anni, quæ incipit. *Ea quæ per sedem.* Ordini S. Trinitatis à Greg. XIII. Ann. 1575. die 18. Novemb. B. quæ incipit. *Regimini militantis.* Sylvestrius

strinis à Paulo V Anno 1616 die 23. Nov. B. quæ incipit *Religiosorum*. Fulienf. à Sixto V. An. 1607. die 21. Nov. Bul. quæ incipit. *In supereminentis*. Societ. Jesu à Pio V. An. 1571. die 7. Jul. Bul. quæ incipit. *Dum indefesse*. Minimis à Jul. II. Sixto IV. & Pio V. Ac demum simul Congr. seu Ordinibus. Cassin. Camald. Vallis umbr. Montis Oliveri Cisterc. Cel. Præmonst. Lat. S. Crucis Conimbric. S. Salvatoris Boron. Crucif. Militia Christi in Hispan. S. Hier. item de Hisp. De Pific & Fesulani, à Pio V. una & eadem B. quæ incipit. *Ex superna dispositionis arbitrio* Sub Anno 1567. 17. Cal. Sept.

20 Demum 3. privil. omnium Ordinum, tam Mendicantium, quàm nō mendicantium concessa sunt Camaldulensibus primò à Clem. VII. & Paulo III. Anno 1534. tertio Non. Nov. Ac secundò à Gregor. XIV. An. 1591. die 24. Sept. Cælestinis ab Urb. VIII. An. 1624. die 14. Aug. Congr. S. Mauri in Gallia ab eodē Urb. An. 1627. 12. Cal. Febr. Carthusianis à Gregor. XV. An. 1623. die 3. Febr. Trinitariis à Greg. XIII. An. 1575. die 18. Nov. Et Urban. VIII. An. 1634. die 28. Mart. Cruciferis à Greg. XIV. An. 1591. die 12. Jun. Congregationi S. Hieronymi Fesulani ab Alex. VI. Anno 1496. die 30. April. Clericis Regularibus ministrantibus Infirmis à Gregor. XIV. an. 1591. diei Oct. Canonicis S. Georgii in Alga à Pio V. An. 1569. die 5. Dec. Servitis à Jul. III. An. 1551. die 10. April. Theatinis ab eodem Pio, & eodē Anno die 13. Febr. Minoribus de Observantia primò à Clem. VII. Anno 1527. die 30. Maii Ac deinde à Sixto V. An. 1587. die 3. Oct. Carmelitis à Clem. VII. An. 1530. die 12. Aug. Eremitis Augustini à Leone X. An. 1513. die 10. Jun. Ac iterū à Clem. VII. An. 1523. die 31. Oct. Minimis à Greg. XIII. Anno. 1575. die 10. Octob. Et Urban. VIII. Anno 1624. die 28. Jun.

Atque hæc quidem quoad materialem (sita licet dicere) cōmunicationem privilegiorum inter regulares, Caterum pro pleniori instructione placet adnotare quosdam clausulas sub quibus ejusmodi cōmunicatio facta est nonnullis ordinibus, & congregationibus. Nam primò hæc complectitur non tantum concessa, sed etiam concedenda, ut supra notavi Clem. VII. Sanxisse pro Theatinis quoad privilegia Lateranensium. Quod item plures alii Pontifices Sanxere pro diversis aliis ordinibus, & referre supersedeo.

Secundò in eadem cōmunicatione, quam idem Clem. concessit Theatinis. Et Sixt. V. Congreg. Portug. Ord. S. Benedicti de qua item supra, voluit comprehendere omnia omnino privilegia, etiam illa quæ aliis speciale mentionem, & insertionem exigunt.

Tertio Greg. XIV. fecit cōmunicationem Cong. S. Bernardi in Italia, sub hac amplitudine, ut potiatum omnibus privilegiis Abbatis, & Monasterii Cisterc. Clareval. Pontiniac. Morimontens. omnium Congreg. Cisterc. Benedictinorum. Ac quorumcumque aliorum ordinum, similium, vel dissimilium, sub quibusvis regulis militantium, in quibusvis mundi partibus. Quomocumque concessis. Aut ad cujusvis instantiam. Et etiam si talia sint, quæ speciale requirant mentionem, & insertionem. B. quæ incipit *Romanus Pontifex* sub dato Anno 1591. die 28. Jun.

Quartò Idem Greg. XIV. Cong. S. Bernardi in Hispania, concessit cōmunicationem privilegiorum omnium Ordinum sub hac clausula. *Non obstantibus quibuscumque, in contrarium facientibus etiam cōmunicationis prohibitis.* Marcellin. à sancto Benedicto in comp. priv. fulienf. v. ord. c. 5.

Quintò Clemens VII. Et (cum is morte prævenerat, non expeditisset, & Bulla) ejus

ejus successor Paul. III. per B. que incipit. *Rationi congruit.* expeditam pro Calmald. sub dato Anno 1534 tertio Nonas Nov. que habetur ad calcem constitutionum impressarum Romæ An. 1639. Et Urb. VIII. pro Congregat. S. Mauri in Gallia per B. que incipit. *In supereminenti* Sub dato An. 1627. 12. Cal. Februar. Et publicatam Patilii à Vicario Generali Illustrif. Domini Archiepiscopi An 1629 die 16. Maii Concessit dictis Cong. Calmald. & S. Mauri communicationem privilegiorum omnium Ordinum regularium etiam Militarium, Hospitalium, ac piorum locorum. Et sub his clausulis, ut nunquam revocetur nec censentur comprehendi sub ullis futurorum Pontificum revocationibus, aut derogatoriis derogariis. Quin imò censentur semper in illis excipi. Et toties in pristinum statum restitui, redintegrari, ac de novo concedi, quoties contingerit, aliquam revocationem fieri.

26 Ex quibus omnibus ego infero, communia esse omnibus ordinibus privilegia omnia, adeò ut non modò antiqua, sed etiam, dum aliquod de novo alicui conceditur seu ordini, seu etiam Monasterio, statim ad omnes alios Ordines aliamque Monasteria derivetur. Imò etiam concedatur sub clausula ne alii communicent. Patet ex dictis & ita tenent. Eman. Roder. *tomo primo qq. regul. 55. a. 17. & tomo 2. qu. 23. a. 5.* Hieronymi. Rodriq. *resolut. 106.* Portal. *in sum. qq. regul. v. communicatio privil.* Miranda *in man. tomo. 2. qu. 46. a. 7.* Joan Cruz *in comp. privil. lib. 2. cap. 4.* Marchin. *de sacr. v. d. 1. part. 7. cap. 2. & 7.* Diana *tract. 2. dub. regul. resolut. 81. & 112.* Tambur. *de iur. Abb. tomo primo d. 17. quest. 2. & d. 25. qu. st. 9.* Donat. *in prax. regul. tomo primo tract. 7. q. 8.* Fit verò communicatio ejusmodi inter ordines regulares hac lege, & ratione,

27 ut concessa uni censentur concessa alte-

ri. Quæ Generali Præsidenti, Provinciali, Abbati, Priori, Cõfessariis, Novitiis, Oblatis, &c. unius. Hac omnia eadem intelligantur concessa Generali, Præsidenti, Provinciali, Abbati alterius. Quæ indulgentiæ sunt concessæ pro Beatis unius, Ha similiter sint concessæ pro Beatis alterius. Quæ gratiæ datae pro famulis, syndicis, aut familiaribus unius, illa itidem sint propriæ famulis, syndicis, & familiaribus alterius. Et ita An. 1509. die 1. Jun. Sancivit Jul. II B. que incipit. *Charissimi in Christo.* Ac iterum declaravit Leo X per Oraculum, cujus inter alios meminere Casarub. *v. communicatio §. 13. & Roder. 10. 1. qq. regul. 55. art. 20.*

Fallit tamen hæc doctrina, & communicatio non habet locum primò in privilegiis, quæ sunt contra jus tertii. Quia Princeps nunquam censetur velle derogare juri alieno ut plenius dicitur infra, ubi de intellectu privilegiorum. Unde quantamcunq; communicationem concedat, non tamen censetur communicare privilegia quæ cadunt jus tertii Et sic verbi gratia licet Minimi habeant privilegia Dominicanorum non tamen propterea sunt exempti à solutione quarta Funera-
29
lis, ut Dominicani, quia hoc est contra jus Ecclesiarum Parochialium. Quidquid in contrarium dicat Tambur. *tomo 1. de iur. Abb. d. 15. qu. 17.* Nam etiam ipse ibi agnoscit, Rotam Romanam super hac difficultate interdum variasse. Et insuper extant duæ Cardinalium declarationes Quarum inter alios meminit Barb. *in rr. de of. & por. p. c. 25. nu. 9.* pro eadem parte negativa. Et per quas Minimi declarantur non esse exempti à prædicta quarta, non obstante, quòd Dominicani illam non solvant, & ipsi gaudeant privilegiis Dominicanorum Idemque dico per proportionem de decimis, oblationibus & similibus aliis.

- Fallit secundò doctrina prædicta, & communicationi non est locus respectu illorum privilegiorum, quæ habent repugnantiam cum statu alicujus Ordinis, qui ideo censetur illorum incapax, quia Papa semper præsumitur sic suas gratias temperare, vel indulgere ut statum cujusque servet in suo esse illatum, nam si non præsumitur velle lædere jus tertii, in communicatione ejusmodi privilegiorum multominus certè jus & statum illius
- 31 cui hæc communicat. Et sic v. g. licet Mendicantes habeant privilegia nò mendicantium, non tamen possunt celebrare divina Pontificaliter nò Ordines conferre &c. quia hæc repugnant illorum statui.
- 32 Tertio fallit quoad illa privilegia, ex quorum communicatione sequeretur absurditas rerum Ecclesiasticarum, & per ejusmodi privilegia, & communicationem concessam minor aestimatio, aut quorum communicatio repugnat ipsi rationi, & æquitati naturali. Et sic v. g. licet aliqui Abbates Monasteriorum quorundam
- 33 majorum, & magis celebrium, possint in diebus solemnibus portare cappam, & uti caudatario, erigere super suam Sedem umbellam &c. vix tamen puto id quisquam rationabiliter extēdat ad quoscunque Abbates Monasteriorum tenuiorum, & obscuri nominis, quia videtur repugnare rationi, ut parva, & ignobilia æquiparentur magnis, & nobilibus. De-
- 34 mum fallit respectu eorum privilegiorum, quæ non sunt concessa intuitu & favore Religionis vel Ordinis, sed ob singularem aliquam prærogativam alicujus loci, Ecclesiæ, vel Monasterii, quæ alia carent, vel ob necessitatem, quæ alibi tanta non reperitur. Et sic v. g. licet aliqui Ab-
- 35 bates habeant Sedem fixam ad Altare propter jurisdictionem Episcopalem, & diocesim, suo Monasterio annexam, non
- possunt alii carentes tali jurisdictione talem Sedem habere. Sic licet in Indiis, & partibus infidelium vel hæreticorum possint simplices Sacerdotes & Regulares interdum confirmare, aut in impedimentis Matrimonii dispensare, non tamen in aliis partibus, ubi Ecclesia floret, &c.
- Porrò multis modis ampliata est extentio, concessa Regularibus privilegiorum communicatio. Nam primò Sixt. IV. omnia privilegia, gratias, & indulta, concessa Dominicanis, & Minoribus, eorum syndicis procuratoribus & oblatibus eorumdem Ordinum monialium tertiariarum communicavit in Bulla aurea quæ incipit *Sacri Prædicatorum*, sub dato An. 1479. die 21. Jul. Secundò Adria. 6. in Bulla Maris magni Ord. SS. Trinit. quæ incipit *Indie à nobis* sub dato Anno 1222. prid. Cal. Sept. concedit ut omnibus ejusdem Ordinis privilegiis, gratiis, indultis, indulgentiis, exemptionibus &c. uti & frui possint, hi qui taxandam ab aliquo Provinciali ejusdem Ordinis, eleemosinam dederint Aut in ejus Ecclesiis sepulturam elegerint, vel qui Scapulare Ordinis de manu alicujus Prælati susceperint, etiam absque ullius voti nuncupatione. Verum quia indulgentia quæstuosæ, aut lucrum sapientes, fuere revocata (ut suo loco dicemus) ideo & privilegium quoad hanc partem cessat, nisi recurratur ad hæc, quæ dicemus *sect. 4. d. 7.*
- Tertio Refert. Cannart. in *sum. priv. 39* *passar.* Et Calar. v. *communicatio §. 31. Et v. familiaris 7* Jul. II. ea omnia supramemorata concessisse Minimis pro fundatrici- bus suis, famulis habitum Ordinis portantibus, aut in Ecclesiis suis sepulturam eligentibus. Sed in eorum mari magno non inveni nisi participationem bonorum operum. Tenor privilegii sic habet *Quodque dicti Ordinis Fundatores, & Fundatrices, Procuratores, & Procuratrices Tutores,*

Tutores, & tutrices, utriusque sexus liberi. Nec non dicti ordinis conservatores, presentes, & futuri. Omnium, & singularum missarum, jejuniorum, orationum, & sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum in toto ejusmodi ordine Minorum, de cetero faciendorum, & recitandorum, participes fore, & illis communicata sint, & esse debeant.

40 Demum quarto Clem. VII. an. 1529. die 17. April. uni Syndico seu Procuratori, cujuslibet conventus trium regularum Ordinis Minorum. Eiusdem Syndici, seu procuratoris uxori, & liberis, communicavit omnes indulgentias, favores, & peccatorum remissiones, quibus ipsi Minores gaudent. Et insuper statuit, ut idem Syndicus, seu Procurator, non possit conveniri nisi coram iudice conservatore conventus cui servit, pro quacunque causa, seu civili, seu criminali B. qua incipit. *Dum consideramus*. Verum ad hoc ut illustri hoc privilegio aliquis gaudeat, ego arbitror, illum debere servire gratis, alias autem si pro pretio, potest illi dici, recepisti mercedem tuam. Et ita videtur satis innui in praefatione Bullae. Quantum vero ad posteriorem partem privilegii, & exemptionem, attendendum erit ad praxim, & satis dubito, an haec illi locum dederit.

§. V.

De Acquisitione privilegiorum per viam Extensionis.

S U M M A R I U M.

1. Heerua fit ex tribus Capitibus, scilicet 1. dispositione juris. 2. Significationis. 3. Connectionis materiae, rei, causa, personae.
2. Ex 1. capite ad quas personas fiat extensio, num. 3. 4. 5. 6.
7. Ex 2. capite ad quas, & num. 8. usque ad 14.
15. ex 3. capite ad quas personas extendi-

tur usque ad num. 20.

21. Exceptio horum, usque ad finem.

Hac via acquiruntur privilegia, ex tribus capitibus, nempe, aut propter dispositionem juris. Aut propter vocis significationem. Aut propter materiae, rei personae, seu causae connexionem. Propter dispositionem inquam juris. Puta in illis casibus, pro quibus ita in jure cavetur, ut v. g. in matrimonio cuius favore, extenduntur privilegia viri ad uxorem l. 1. & l. femina ff. de senat. l. fin. C. de incol. lib. 10. & l. mulieres eod. de dignit. lib. 12. Sic ex ejusdem juris dispositione privilegia concessa nuptis, & nubentibus, extenduntur ad virgines, & Christo nubentes, ut notant Gloss & Bald. l. imperialis C. de nupt. Koraman. insibil. trigand. c. 57. Et alii per cap. cum inter Canonicos. de elect. c. fin. & penul. de transl. & auth. nisi rogati C. ad trebell. Unde bene inferunt. Aret. c. in praesentia de prob. Ferret. Felin. & alii Canonista. eod. cap. 3. p. var. res. c. 11 num. 207. & Sanch. lib. 1. de matrim. dis. 33. Quod legatum relictum puella si nubat, ei debetur, si monasterium pro servanda virginitate ingrediatur. Sic ex ejusdem juris dispositione privilegium fori, quo gaudent Clerici, extenditur ad ipsorum familiam, & domesticos. can. clericum. 1. qu. 1. cap. eos. dis. 22. & c. judicatum. dis. 89. Quod licet de solis domesticis perpetuis, & perpetuo Ecclesiae servitio addictis intelligat Archid. cit. can. Clericum. Panor. & Aretin. cap. 2. de foro comp. Socin. tamen ib. d. ait dispositionem habere locum etiam in non perpetuis familiaribus, si modo per annum servant, aut per aliquod tempus simile, & non sint dietim conducti. Quod est indubitatim saltem pro domesticis Episcoporum, per cap. si ex ira, & cap. fin. de offic. arch. uti & docent Imol. & Felin. cap. 2. de foro comp. Abb. & Joan.